

**EXCLAMATIONES FESTIVAE
QVID GRAMMATICI ANTIQVI DE INTERIECTIONIBVS
AB ADVERBIIS DISTINGVENDIS SENSERINT¹**

0. Si quando unum ex amicis nostris annum sexagesimum quintum feliciter complevisse audimus, vix quisquam se retinere potest, quin laetitiā magnā affectus "euax" vel saltem "euge" exclamet. Si autem amicis valedicentes dolore vexamur, suspiramus "heu". Si praeterea metuimus, ne longius post tempus demum eos revideamus, vocem "ei" eicimus. Quamvis enim permultos affectūs variosque motūs animorum amicitia concire soleat, nullus tamen est, quin ope interiectionum exprimi possit. Est igitur ratio et necessitas quaedam inter amicitiam et interiectiones. Praeterea, cum constet interiectiones a grammaticis Latinis antiquis in numero octo partium orationis relatas esse, necessario amicitia nescio quo modo cum studio grammaticorum antiquorum coniuncta esse videtur.

Hāc in symbolā igitur in placita nonnulla eorum grammaticorum de interiectionibus inquiram. Nam quamvis argumentum parvi momenti esse videatur, tamen nobis facultatem praebet, ut rationes atque methodos grammaticae antiquae in quaestionibus linguisticis tractandis disputandis solvendis patefaciamus et explicemus. Neque aliud quid nobis est propositum nisi hoc ipsum. Nam credimus linguisticam antiquam dignam esse, quae nullis doctrinis hodiernis adhibitis ex semet ipsā - quantum fieri potest - explicetur.

Quaestio principalis erit, cur et quomodo grammatici Latini interiectiones ab adverbis, inter quae a Graecis plerisque adnumerabantur, separaverint. Primum autem de earum definitionibus agetur. Nam mox apparebit ipsam definitionem instrumentum magni momenti fuisse, quo voces diiudicarentur et diversis partibus orationis attribuerentur.

Deinde de causis et rationibus disputabitur, cur grammatici Latini duas partes orationis ex una fecerint. Postremo videbimus, quid respicientes grammatici distinctionem adverbiorum atque interiection-

1 Grammatici Latini numero voluminis paginae regulae editionis Keillianae citabuntur; in arte grammaticā Fl.Charisii laudandā editione a C.Barwick confectā utar.

num fecerint in casu homonymorum, i.e. eorum vocabulorum, quae eadem forma tam adverbii quam interiectionis officio fungi possunt.²

1. In interiectione definiendā³ omnes grammatici Latini dixerunt ei significationem affectuum vel motuum vel passionum vel sensuum animi propriam esse. Iulius Romanus (apud Charisium 311,14 sq.) et Cominianus (apud Charisium 311,4 sq.) hāc solā differentiā specificā additā brevissime definiverunt dicentes interiectionem partem orationis esse. Neque nullius momenti erat hoc ipsum observare. Nam Graeci quidem plerique interiectionem partem orationis sui iuris esse omnino negabant, sed potius eam adverbii adnumerabant.⁴ Charisius (311,10 sq.) etiam tertiam speciem definitionis tradidit, quae Q. Remmius Palaemoni, patri illi artis grammaticae Romanae eidemque praeceptori Quintiliani attributa est: "interiectiones sunt quae nihil docibile habent, significant tamen affectum animi". Quamquam Palaemon expressis verbis interiectionem partem orationis esse definitioni addere neglexit, tamen eum ita censuisse ex verbis Quintiliani (1,4,19 sq.) scimus.

Praeter mentionem affectuum apud Palaemonem etiam novum quid invenimus: interiectiones enim *nihil docibile* habere dicuntur.⁵ Duae sunt viae, quas ingredi possumus, ut haec verba explicemus.

Primo enim vox "docibile" notiones contrarias doctrinae vel artis atque naturae in mentem vocat. In textū Latino veterrimo ubi interiectiones designari videantur, licet ipsum nomen omissum sit,

2 Copiosius de interiectionibus agetur in thesi meā doctorali de grammaticis antiquis, quae sub finem huius anni edetur atque divulgabitur; ubi in capitulo de interiectione de ratione, quae intercedit inter notiones grammaticales et rhetoricas verbi interiectionis, de doctrinis Graecis, de difficultatibus interiectionum in alias linguas interpretandarum, de usu interiectionum in ethopoeia, quae vocatur, de aspectibus formalibus deque plurimis locis spinosioribus disseram.

3 Cfr L. Jeep, *Zur Geschichte der Lehre von den Redetheilen bei den Lateinischen Grammatikern*. Lipsiae 1893, pp. 292 sqq.

4 Ut DION. THRAX, *ars grammatica*, *Gramm. Graeci I 1* (ed. G. Uhlig) 77,1; 80,1; 86,1; APOLL. DYSC. *de adv.*, *Gramm. Graeci II 1* (ed. R. Schneider) 121,15 sq.; cfr verba Augustini in *Regulis* (V 524,8 sqq.): "interiectio non pars orationis est, sed affectio erumpentis animi in vocem". Cfr J. Pinborg, *Interjektionen und Naturlaute*. Petrus Heliae und ein Problem der antiken und mittelalterlichen Sprachphilosophie. *C&M 22* (1961), p. 133.

5 Cf artem Ambrosianam, commentarium quendam in Donatum saeculi septimi p. Chr. n.; hic quoque definitio Palaemonis conservata est (CCSL 133 c. 179,22 sq.: interiectiones quae nihil docebile [sic] habent, significant tamen affectum animi).

haec leguntur (VARRO *ling.* VII 93): " 'Euax' verbum nihil significat, sed effutitum naturaliter est".⁶ Exclamationes,⁷ interiectiones etc. non ad *artem* pertinent, sed ad *naturam*. Ars grammatica igitur leges de interiectionibus dare vix valet, quippe quae sub nullas regulas firmas cadere videantur. Est contradictio quaedam, quae saepius apparebit et manifestabitur, inter naturam ipsam interiectionum et conata grammaticorum, qui contendunt laborantque, ut imperium legum grammaticalium usque ad eas voces propagent, quae suāmet ipsarum naturā potestati talium legum se subducant. In ipsā definitione Palaemonis igitur clausula et quasi regula adscribitur, quā dicuntur eae voces interiectiones esse, de quibus nulla doctrina dari possit.⁸

Verba autem "quae nihil docibile habent" etiam alteram significationem habere possunt.⁹ In dialogo Platonis, qui "Cratylus" inscribitur (388a8 sqq.), Socrates Hermogeni explicat nomina instrumenta quaedam esse, quibus nomina rebus imponamus. Si autem nomina rebus imponamus, hoc idem esse ac si quid eisdem de rebus doceamus et eas distinguamus. Quibus rebus disputatis Socrates concludit (388b12 sq.): "'Ὄνομα ἄρα διδασκαλικόν τί ἐστίν ὄργανον καὶ διακριτικὸν τῆς οὐσίας ...'" (i.e. "nomen igitur instrumentum quoddam didacticum est, quo naturam rerum distinguere possimus"). Si quis nominibus bene uti velit, ope eorum docebit (388c6 sq. διδασκαλικῶς (χρησθῆναι)). Si hōc textū collatō iterum in verba Palaemonis inquirimus, altera significatio eorum facile intellegitur: Nam indicant interiectionem partem orationis singularem esse, quippe quae sola inter omnes partes nihil de statu rerum *docere* valeat.¹⁰

Haec interpretatio fortasse potior est, praesertim quia illa prior non tantum ab hac distat quantum primo obtutu videri potest. Nam eo ipso, quod interiectiones nihil nos docent, fieri non potest, ut quicquam de eis docere possimus. Quod quodammodo etiam verbis Varronis dicitur: Nam quod interiectiones nihil significant, idem est

6 Praeter vocem "euax" Varro etiam voces "hahae", "eu" et "heu" enumerat.

7 De usu rhetorico vocum exclamationis, interiectionis, interpositionis, interclusionis hic non disputabitur. Pro interiectione nonnulli etiam asseverationem usurpaverunt (QVINT. 1.4.20).

8 Cfr DIOM. gramm. I 419,12 sq.: "et si qua sunt similia, quae affectus potius quam *observationes artis* inducant."

9 Cfr Y.M.Biese, Zwei Beiträge zur Geschichte der Römischen Grammatik. Arctos N.S. 1 (1954), 14.

10 Per se vox "docibilis" tam activae quam passivae notionis esse potest, cfr ThLL V 1, 1765 sq.

ac dicere eas nihil docere, nihil docibile habere. Sed redeamus ad ceteras definitiones.

Marius Plotinus Sacerdos (s. III/IV p. Chr. n.) similitudinem interiectionum et adverbiorum in ipsam definitionem adsumens eam auxit et amplificavit.¹¹ Qua de re copiosius, cum de affinitatibus differentiisque inter adverbia et interiectiones agetur, disserendum erit.

Alii grammatici definitioni subiunxerunt interiectiones voce inconditā esse,¹² easdemque interiectas esse aliis partibus orationis.¹³ Quarum observationum hanc additam esse, ut nomen interiectionis quasi etymologice explanaretur, neminem fugit.¹⁴ Quod autem interiectiones voce inconditā sunt,¹⁵ iterum nos ad anomaliam naturalem et insitam huius partis orationis reicit. Non enim in rebus syntacticis tantum, sed etiam quoad phonologiam legibus solitis Latinitatis non obsequuntur, quae vetant exempli gratiā voces Latinas in h litteram terminari. Tamen "vah" et "ah" interiectiones h terminalem habent. Ad phonologiam etiam difficultates accentūs interiectionum statuendi pertinent, quarum saepius grammatici mentionem faciunt.¹⁶

In interiectionis definitionibus igitur duo sunt elementa maioris momenti, quibus interiectiones a ceteris partibus orationis distinguantur. Primo enim interiectiones affectūs animi eius, qui loquitur, significant. Deinde interiectionibus insita quaedam anomalia est, qua normis doctrinae grammaticae se subducunt. Quod praesertim in formis earum abnormibus perspicuum est.

Post definitionem statutam plerumque exempla nonnulla citantur, quibus significationes interiectionum clariores fiant. Nam nihil interiectionibus accidit nisi significatio.

11 "Interiectio est pars orationis adverbio persimilis qua significantur animi variae passiones, quas quidam affectus dicunt" (VI 447,1 sqq.).

12 DON. gramm. IV 366,13 sq.; DIOM. gramm. I 419,1 sq.; SERV. gramm. IV 420,18 sq.; POMP. gramm. V 281,5, sq.; CASSIOD. gramm. VII 215,22 sq.; VERG. gramm. (ed. J. Huemer, Lipsiae 1886), 76,1 sqq.

13 DON. gramm. IV 391,26 sq.

14 Cfr DIOM. gramm. I 419,3 sq. "quae aliis partibus orationis *interiaci* [sic] et *inseri* solet".

15 Cfr PRISC. II 48,22 sqq. (voce abscondita); SERG. gramm. VII 158,34; CLEDON. gramm. V 26,19; ars AMBR. 181,74 (confusa voce). PROBVS (IV 146,1 sqq.) ita definit: "Interiectio est pars orationis ostendens animi motum *per suspirationem*" (cfr Excerpta Audacis, quae a Probo dependent, VII 356,1 sqq.). Cfr J. Pinborg, o.c., p. 132.

16 Velut DON. gramm. IV 392,2 sq.

Significatio interiectionum aut ex consuetudine aut ex contextū verborum colligitur et intellegitur (DIOM. gramm. I 419,4 sq.). Interdum diserte additur fieri non posse, ut omnes interiectiones vel omnes earum significationes enumerentur, et invitatur, ut ipsi ceteras significationes colligamus.¹⁷ Voces, quas exclamamus cum irascimur, gaudemus, timemus, admiramur, dolemus, indignati sumus, optamus,¹⁸ saepe laudatas esse non est, quod miremur. Nam ira, gaudium, dolor, metus etc. exempla passionum trita et celebrata sunt. Sed interdum etiam in aliquid novum et inexpectatum incidimus.

Iulianus Toletanus quidem lacunam periculosam in copia verborum explevit, qui scripsit (V 320,5 sq.): "Solitum est parvulo dici 'totto' quando prohibetur comedere terram". Si quando enim parvulum in tanto discrimine rerum invenias, omnis dubitatio de interiectionum tempestivarum delectu sublata sit oportet.

Et quid de Vergilio Marone grammatico (s. VII p.Ch.r.n.)? Cuius obscuritati exempla ab eo adducta satis congrua esse videntur. Nam secundum eum inter interiectiones e.g. etiam hae voces adnumerandae sunt: rauc, sarap, salecon, ehunave, cetiu, faticalpin, quesgoor. Quare facere vix possumus, quin ei credamus, cum pergat: "nulla ... pene [= paene] earum ad dicendum nobis prompta est". Cum autem Iuliani et Vergilii sui generis sint et singulares, ad collegas eorum magis "conventionales" redeamus.

2. Definitionibus descriptis nunc quaeritur, cur et quomodo grammatici Latini interiectiones ab adverbis separaverint easdemque partem orationis sui iuris esse decreverint. In hac quaestione solvendā, uti iam dixi, opportunitas nobis dabitur rationes methodicas grammaticorum antiquorum observandi et inspiciendi. Videbimus autem eos quotienscumque contextu dato de voce quādam ambigitur, utrum inter adverbia an inter interiectiones adnumeranda sit, hoc prius investigare solere, utrum definitioni et proprietatibus adverbiorum an interiectionum ea vox magis convenire et congrua esse videatur. Hic autem cyclus hermeneuticus inevitabilis in rebus grammaticis est. Nam primum ex eo quod plerumque fit, ex consuetudine vel

17 SACERD. gramm. VI 447,11 sq.; DON. gramm. IV 366,16 sq.; MAX.VICTORIN. gramm. VI 205,3 sq.; CLEDON. gramm. V 26,22 sq.; SERG. gramm. VIII 158,35 sqq.; ars AMBR. 180,32 sqq.; ars BONIF. (CCSL 133 B) 99,9 sq.

18 Cfr QVINT. inst. 9,2,26, qui eosdem affectūs exclamationibus artificialibus atque rhetoricis producendos describit. Ars (rhetorica) igitur idem efficere potest ac natura.

usu, ex ratione, ex auctoritate normam statuunt, quam in definitione succincte eloquuntur; deinde casus difficiliore ad normam dirigere conantur. Definitio ipsa igitur quasi instrumentum fit, quo voces partibus orationis adsignentur.

Causa principalis, cur Romani interiectiones cum adverbis misceri atque coniungi noluerint, est quod interiectiones verbo temporali non cohaerent - quod adverbiorum proprium est.¹⁹ Quin etiam interiectiones in eis sententiis inveniuntur, in quibus omnino nullum verbum temporale adhibeatur. Quae cum ita sint, nullo modo adverbia esse possunt. Hoc argumentum proponitur inter alios a Servio in commentariis in Vergilium (*Aen.* XII 486): "Omne adverbium verbo cohaeret. Unde 'heu', 'en', et 'attat' et similia, quia verbo cohaerere non possunt, separata fecerunt aliam partem orationis, scilicet interiectionem, quam sola Latinitas possidet".²⁰ Hoc argumentum igitur ad proprietates syntacticas interiectionum respicit.

Huc accedit, quod Romanis prorsus inutile erat articulos in numerum octo partium orationis adsumere. Qui numerus post tempus Aristarchi quadamtenus canonicus factus esse videtur. Interiectiones igitur quasi in eorum locum substituendo efficere poterant, ut partes orationis suum numerum haberent. Quamquam unus dumtaxat ex grammaticis aliquatenus indignatus est, quod Romanis crimini daretur se interiectionem nullam aliam ob causam in numerum partium orationis adsumpsisse quam ut Latinitati quoque octo partes orationis essent.²¹ Verbis autem aliorum grammaticorum auditis animus inclinatur, ut credamus nonnullos saltem grammaticos et ipsos absentiam articulorum causam interiectiones ab adverbis separandi existima-

19 Cf e.g. definitionem adverbii a Donato datam (*IV* 385,11 sq.): "Adverbium est pars orationis, quae adiecta verbo significationem eius explanat atque implet". Vide L.Jeep, o.c., pp. 268 sqq.

20 Cfr *IVL.ROM.* (ap. *CHAR. gramm.*) 246,23 sqq.; 248,7 sqq.; *DIOM. gramm.* I 419,19 sqq.; *DON. gramm.* IV 386,23 sq.; 391,28 sqq.; *AVG.* V 518,23 sqq.; *DOSITH. gramm.* VII 424,10 sqq.; Clemens Scotus (ed. J.Tolkiehn, Lipsiae 1928), 108,17 sqq.

Haec argumentatio apud Graecos quoque invenitur (velut in Scholiis in Dionysii Thracis artem grammaticam, *Gramm. Graeci* I 3 (ed. G.Uhlig) 520,23 sqq.), sed illi plerumque interiectiones ab adverbis disiungere noluerunt, quia negaverunt interiectiones cum verbis non cohaerere, sed adverbia *σχετλιαστικά* vel *ἐπιφωνήσεις* et ipsa cum verbis construenda esse vel utique verba subaudienda esse existimaverunt. Cfr *APOLL.DYSC. de adv.* 121,14 sqq.; *PRISC.* III 90,6, sqq.

21 *IVL.ROM.* ap. *CHAR. gramm.* 246,26 sqq.

visse.²² Quintilianus quidem expressis verbis dicit (1,4,19): "Noster sermo articulos non desiderat ... sed accedit superioribus [sc. partibus orationis] interiectio".²³

Tamen verisimilius est Q.Remmii Palaemonem²⁴ et collegas eius, cum primi Romanorum interiectionem suae potestatis esse vellent, re verā rationibus linguisticis potius quam arithmetiis ut hoc facerent adductos esse. Nam oblivisci non licet apud eos multis in rebus grammaticis auctoritatem philosophorum Stoicorum plurimum valere. Quotienscumque igitur Romani consilio aliam viam ingressi esse videntur ac Stoici, operae pretium est in rationes eorum inquirere. Stoici autem in τέχναις γραμματικαῖς suis appellationes (i.e. nomina communia) a nominibus propriis separaverant, ut partes orationis numero ad novem essent. Etiamsi Palaemon igitur octo partes orationis sequi voluerat, nihil eum impedivit, quin locum proprium appellationi adsignando, qua articulum omissum compensaretur,²⁵ doctrinam Aristarchi cum illā Stoicā conciliaret. Quod autem interiectiones ab adverbiiis distinguere maluit, nobis indicio sit eum ad rationes linguistics gravioris respexisse.

Nihilominus autem saepius differentiae inter adverbia et interiectiones obscurae erant, ut M.Plotius Sacerdos in ipsā definitione notavit.

3. Sequitur igitur, ut inquiramus in argumenta, ad quae respicientes grammatici antiqui homonyma distinxerint et singula singulis partibus orationis attribuerint. Ut iam supra indicavi, haec argumenta partim ex ipsis definitionibus depromi possunt. Principalia autem sunt haec:

- a. Si cui voci forma anómala est, interiectio erit potius quam adverbium.²⁶
- b. Si voce quādam affectūs tantum exprimuntur, interiectio erit (cfr CHAR. gramm. 247,25 sq.).
- c. Si vox ambigua omitti potest constructione grammaticali sensuque sententiae salvus, interiectio erit.²⁷

22 DIOM. gramm. I 301,1 sq.; CLEDON. gramm. V 34,19 sqq.; POMP. gramm. V 135,13 sqq. Cfr SERV. gramm. IV 428,14 sq.; ars Bernensis VIII 63,15 sqq.; ars AMBR. 4,104 sqq.

23 Quamquam hōc locō interiectio non eo consilio addita esse dicitur, ut numerum octo partium suppleat; cuius numeri nulla mentio facta est nisi post hunc locum.

24 Cfr Y.M.Biese, o.c., p. 13.

25 Scaurus solus hoc fecisse videtur, cfr DIOM. gramm. I 300,27.

26 Si de homonymis agitur, hoc argumentum quadamtenus arbitrio singulorum grammaticorum adhiberi videtur.

27 Cfr CHAR. gramm. 248,7 sqq.; 249,19 sqq.; PROB. IV 146,14.

Alteram et tertiam distinguendi rationes inter se cohaerere perspicuum est. Nam si qua vox nihil nisi affectūs animi individualis significat, ut arbitrio uniuscuiusque in sermonem immisceatur, dubitandum non est, quin nullis vinculis vel syntacticis vel semanticis cum reliquis partibus sententiae coniuncta esse possit. Diomedes hoc plane declarat (I 419,17 sqq.): "Et fere quidquid motus animi orationi inseruerit, quo detracto textus integer reperitur, numero interiectionis accedet".

Prima autem et secunda quoque ratio consociatae sunt: Nam saepe fit, ut ipsi affectūs prohibeant, ne vox, quā exprimuntur, leges phonologicas sequatur.

Exempla multa adduci possunt. *Probus distinctionem interiectionum adverbiorumque praecipue in significatione affectuum niti putat* (IV 146,35 sq.): "Quotiens animum," inquit, "per suspirationem commovere inveniuntur, tunc suae potestatis esse <interiectiones intelleguntur>". Neque ratione tantum, sed usū quoque affectūs significatos respicit (IV 146,8 sqq.): "'Heu', si cum animi affectū proferatur, hoc est per suspirationem, erit interiectio, ut 'heu misero coniunx' [VERG. *Aen.* 2,738]; si vero 'heu' simpliciter proferatur, erit adverbium respondentis, ut 'heu', vel laudantis, ut 'heu bene fecisti'".

Voces igitur ut numero interiectionum accedant, sui iuris ut ita dicam sint oportet neque quicquam significant nisi affectūs eius, qui eis utitur. Adnotandum est eos, qui loquuntur, interiectionibus nequaquam hōc consilio uti, ut alios homines de affectibus suis certiores faciant. Immo, inviti paene eas eiciunt et quasi casu fit, ut auditores animi passiones oratoris animadvertant. Simulac autem tali voce alium appellamus vel alloquimur, si quid cui communicamus, "si pro vocatione aliquā proferatur",²⁸ adverbium erit. Tunc etiam casus vocativus vel verbum temporale secundae personae in contextu inveniri possunt.

Haec differentia esse videtur inter "hei mihi quantum mutatus ab illo Hectore" [VERG. *Aen.* 2,274] et "hei mihi / pater esse disce ab illis, qui vere sciunt" [TER. *Ad.* 124 sq.], quamquam verba "hei mihi" in utraque sententia adhibentur. Hic enim imperativus invenitur, quo altera persona appellatur, illic nihil nisi affectus individualis ostenditur.²⁹

Tamen in dissertatione Probi quoque difficultates nonnullae supersunt. Cui enim voces interdum adverbialiter esse videntur, etiamsi

28 PROB. IV 146,14.

29 PROB. IV 146,11 sqq. - Quod Graeci αὐτοπάθεια vocant, cfr APOLL. DYSCL. *de adv.* 127,12: (ἐπιρθέγματα) ἐξ αὐτοπαθείας ἀναπεμπόμενα.

nullum verbum temporale adest (IV 146,21 sqq.): " 'o' si cum animi affectu proferatur, hoc est per suspirationem, erit interiectio, ut puta 'o mihi sola mei super Astyanactis imago' [VERG. *Aen.* 3,489]. Si vero 'o' ad accusativum casum proferatur, erit adverbium exclamantis, ut 'o condicionem miseram' [CVRT. 7,1,37], item 'o bellum magnopere pertimescendum' [CIC. *Catil.* 2,24]". Collato CHAR. gramm. 247,26 sq. apparet quidem interdum adverbium cum casibus nominum construi. Qua re "o" adverbium esse potest, etiamsi cum accusativo exclamationis nullo verbo addito construitur. Sed tamen hęc re ex omni parte contenti esse nequimus. Quid enim de hęc exemplō ab eodem Probo allato (IV 146,31 sq.): "Va quemquamne hominem in animo instituere aut / parere quod sit carius, quam ipse est sibi" [TER. *Ad.* 38 sq.]. Quamquam hęc quoque locō constructio accusativi cum infinitivo exclamative usurpatur, tamen "va" interiectio nunc habetur, quia cum animi affectu prolata esse creditur. Fortasse autem Probus hanc explanationem dedit, quia instinctu quodam sensit vocem "va" hęc in sententiā non tam artē cum constructione accusativi cum infinitivo coniunctam esse quam illic vocem "o" cum accusativo exclamationis. Neque iniuriā hoc sensit. Nam -ne particula post "quemquam" inserta hęc locō collocari potuit, quia "va" nescio quo modo a sequentibus separata est.³⁰ "Va" igitur quasi exclamatio per se est, vox sui iuris, post quam pausa intermittenda est, neque quicquam significat nisi passionem animi eius, qui loquitur.

Apud Charisium (313,18 sqq.) aliquid simile invenimus: " 'Em': C. Gracchus, ut lex Papiria accipiatur 'pessimi Tiberium fratrem meum optimum interfecerunt. em! videte quam par pari sim'. At quidam 'em' pro 'en' volunt esse. Sed decet commemorationi fraternae mortis ingemescere. Itaque mora distinctionis par est ostendere adfectus". Queritur, utrum Gracchus adverbium demonstrandi 'en'³¹ an interiectionem 'em'³² adhibuerit. Quarum vocum differentia

30 Cfr Kühner-Stegmann, *Ausführliche Grammatik der Lateinischen Sprache* I 719 sq. -ne post primum vocabulum sententiae collocari solet.

31 Cfr DON. gramm. IV 386,10.

32 Apud Diomedem de partitione "en" vocabuli ambigitur: I 404,9 "en" et "em" ambo inter adverbium demonstrativa numerantur; 419,11 "em" interiectio esse dicitur, quae intentius aliquid demonstrantem significat. Unica differentia inter adverbium et interiectionem posita esse videtur in modo demonstrandi, quippe qui in casu interiectionis intentior sit.

saepius indicatur a grammaticis Latinis, cfr AGROEC. VII 114,13: " 'en', cum ostendis; 'em' cum increpas."³³

Secundum Charisium sunt, qui putent "en" adverbium artē cum imperativo "videte" cohaerere. Ratio perspicua est: Allocutio fit, ergo adverbium demonstrativum adhibetur. Eis tamen Charisius non assentitur, sed alteram solutionem praefert. Nam si post vocem "em" pausa sequitur, "em" exclamatio per se est, quae a ceteris partibus sententiae non dependet, immo distinctione vel positura aliquatenus ab eis separanda est.³⁴ Quae cum ita sint, nihil voce "em" significatur nisi motus animi eius, qui loquitur. Quod Charisius huic loco magis convenire putat, quia de morte fratris agitur, quā affici nequaquam iniquum est.

Iterum iterumque videmus homonyma interiectiones existimanda esse, si a contextu verborum neque propter constructionem neque propter significatum dependeant et nisi eo consilio adhibita sint, ut per allocutionem aliis quicquam communicent.

Restat, ut placita Cledonii de "heu" voce referam. Qui quater hāc de voce disputans³⁵ omnes tres supra dictas rationes interiectiones et adverbia diiudicandi adhibet. Primo refert haec (V 21,6 sqq.): " 'heu': quaerendum est, quando adverbium sit respondendi, quando interiectio. Si verbum sequitur, adverbium. Si alteram partem orationis, interiectio est". Quod iam saepius cognovimus. Si enim vox "heu" proprium adverbiorum habet, i.e. si cum ceteris partibus sententiae constructione cohaeret, adverbium erit; si minus, interiectio.

Secundo loco, V 21,20 sqq., Cledonius differentiam formalem indicare videtur inter "heu" interiectionem dolentis et "heu" adverbium respondendi: "Producta," inquit, "interiectio est, correpta adverbium respondendi". Quid tamen haec verba sibi velint, primo obtutu perspicuum non est. Legimus quidem apud grammaticos omnes interiectiones monosyllabas naturā longas esse,³⁶ sed idem etiam

33 Cfr I.W.Beck, De differentiarum scriptoribus Latinis. Groningae 1883, p. 54, no. 6: "inter 'en' et 'em' ...: en cum ostendis, velut est ecce; em cum increpas ..."

34 Haec est explanatio verborum "mora distinctionis par est ostendere adfectus", cfr DIOM. gramm. I 437,10 sqq.; apud eundem 438,26 sqq. legimus unam ex causis morae interponendae esse, "ut actus verborum emineat et luceat, qui ex aliquo moveatur affectu vel indignatione vel miseratione conlata".

35 V 21,6 sqq.; 21,20 sqq.; 67,1 sq.; 69,12 sq.

36 Cfr MAX.VICTORIN. gramm. VI 239,12.

de adverbii valere dicitur.³⁷ Praeterea terminos technicos producendi atque corripendi ad qualitates syllabarum pertinere, sed vocabula "longa" et "brevis" ad vocales referendas esse oblivisci non licet. Nam fieri posse, ut vocales longae in syllabis correptis appareant, utque syllabae productae vocales breves habeant, nemo nescit.

Fortasse igitur comparanda sunt haec verba Cledonii (V 67,1 sq.): " 'Heus', si raptim proferimus, adverbium est; si cum dolore, interiectio. Sic et 'heu' ". Nam vocem "heu" *raptim* proferendo idem fere efficere videmur ac si eam corripimus. Utramque locutionem igitur ad modum pronuntiandi pertinere verisimile est.³⁸ Quid igitur de voce raptim comperire possumus?

Probabile est locutionem "raptim proferri" idem significare ac "cursim proferri" in his verbis eiusdem Cledonii (V 31,31 sqq.): "Acutus qui cursim profertur, ut arma, excusso enim sono dicendum est; circumflexus qui tractim, ut Romā". Neque "tractim proferre" quicquam aliud significat nisi "producere", ut comprobari potest allato loco Gelliano (*Noct. Act.* IV 6,6), ubi legitur: " 'succidanae' ... littera i scilicet tractim pronuntiata; audio enim quosdam eam litteram in hac voce barbare corripere". Ibidem enim "corripere" contrarium "tractim pronuntiandi" esse dicitur.

Quid autem haec ad nos? "Heu" sive adverbium sive interiectio erit, diphthongon naturaliter longam habebit, sed nunc producet, nunc corripietur. Nam si interiectio erit, dolor ipse, quo eicitur, efficit, ut vocem "heu" tractim et lente proferamus, id est accentu circumflexo; si vero adverbium erit, acuto accentu pronuntiabitur. Loco laudato igitur (V 21,20 sq.) Cledonius ad proprietates formales respiciens "heu" adverbium ab "heu" interiectione discrevit.

Quod autem Cledonius etiam tertiā ratione supra descriptā interiectiones et adverbia inter se distinguendi utitur, nemo mirabitur. Nam non solum proprietatum syntacticarum et formalium interiectionum rationem habet, sed etiam interiectionibus passiones animi exprimere proprium esse non nescit, ut ex his verbis patet (V 69,12 sq.): "(Heu) ... quando ingemiscentis est, interiectio est".³⁹

Finis faciendus est. Grammatici antiqui multam operam dederunt, ut etiam interiectionum, vocum suāmet ipsā naturā imperium analogiae

37 *ibid.* 237,9 sq.

38 Hic meminisse oportet προσφθάν quae Graece dicitur (Latine "accentus") non ipsos tenores tantum complecti, sed etiam qualitates syllabarum et vocalium et aspirationes.

39 Cf etiam locum supra allatum (V 67,1 sq.): "(Heus) si cum dolore (sc. proferimus) interiectio".

legumque grammaticae respicientium, rationem redderent. Praesertim cum homonyma inter partes orationis distribuenda erant, rationes methodicae eorum bene conspiciabantur. Nam definitione et proprietatibus partium orationis statutis casus difficiliores ad eam normam redigere conati sunt.

Tria autem sunt elementa principalia, ad quae respicientes grammatici antiqui voces ambiguas aut adverbiiis aut interiectionibus adnumeraverunt. Primo enim interiectiones voce inconditā sunt. Deinde nullis connexionibus neque syntacticis neque semanticis impediuntur, quin arbitrio uniuscuiusque in sermonem ita inserantur, ut etiam interiectionibus iterum sublatis sensus et constructio salvi remaneant. Postremo proprium earum est, quod nihil significant nisi affectus animi.

INECVLA SLVITER
Amstelodamensis